



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

19. Decembris. Huic quàm maximè invigiletis; alter de altero in bonitate sentientes, ut utrique invicem diligamus. S. Ignat. apud Bart. l. 3. f. 250.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



19. Decembris.

*Huic quàm maximè invigiletis ; alter de altero in bonitate sentientes , ut utrique invicem diligamus. S. Ignat. apud Barr. l. 3. f. 250.*

**A** Mor Dei latissimè patet : tot habet appendices amores, quot homines; ut ex oceano fluvii in eundem reversuri deducuntur, ità ex sincero Dei amore plurimi derivantur amores, qui ad ipsum revocantur.

Si amicorum omnia sunt communia, debent etiam amores illis esse communes. Deum non diligit, qui non eadem cum illo diligit. Vide, quid non possit amor Dei cogit omnes ad omnium amores.

Profanus amor, ut amet unum, odit plures, offendit omnes, cæcus semper, & cum amat, & cum odit. Dei amor tum efficacius amat unum, cum tenerrimè amat omnes, & cum nullum odit, tunc solùm unum verè amare se probat.

Homines natura nos esse, non feras voluit, id est, sociales; humanitatem debemus amo-



amoribus, ne illa in nos, censura cadat: quod homo homini lupus audiat; qui calce ferit ut equus, rugit ut leo, mordet ut canis, cornu petat ut taurus, homo non est.

20. Decembris.

*Cui inutilis benignitas extitit, utilis ejus exemplo ceteris fit severitas. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 7.*

**U**T severitas, sic & remissio, cum modum nescit, evertit imperia. Matrum indulgentia plurimos perdidit, quos tempestivus patris rigor servare potuisset. Malus superior, sub quo nihil ulli liceat, peior, sub quo omnia omnibus.

Qui conniventiam sibi subditis placere curat, Deo displicebit; quia pluribus viam malis aperit, quam ut facile dein queant extirpari. Sera nimium est medici severitas, dum totum cancer corpus occupavit.

Eo graviora censentur mala, quod pluribus officiunt. Qui parcit malis, nocet omnibus: illis, quod non emendentur, aliis, quod sequiora facilius exempla imitentur. Plura remissio, quam severitas reipublice minatur damna.

Quod